



Rodolphus Agricola Groningenensis, natione Phriso, à teneris annis optimis literis institutus fuit. In patria quidem Basilium Groningensem Theologum doctissimum, præceptorem habuit. Postea uero sese Louanium conferens Philo sophiae & liberalibus studijs operam nauauit. In ijs adeò profecit, ut facile omnes eo in loco superaret. Cum autem linguarum quoq; esset studiofissimus, atque intellexisset Theodorum Gazam in Italia magna gloria Græcas literas enarrare, statim sese eò contulit, & eundem magna attentione prælegentem audiuit. Cum hoc modo Græcæ & Latinæ linguæ puritatem, nec non Hebraicæ qua lemcunq; cognitionem hauiisset, Pleningerus equestrī loco natus, cum quo Ferrariæ in studijs familiariter uixerat, ei author fuit ut in Germaniam reuersus sese Heidelbergam conferret. Id quod ille non grauatum fecit. præsertim cum Dalburgij authoritas accederet. Eo itaque perueniens magna omnium gratulatione suscipitur, atque honesto stipendio ornatur. Erant mores eius castissimi, & omnibus uiris bonis probati. Itaq; non modo propter famam doctrinæ, sed multo magis propter uitæ & morum grauitatem, singularem prudentiam, & omnium actionum moderationem, eius consuetudo à uiris præstatiissimis expetebatur. Consulebatur ab omnib; artium professoribus, si quis inciderat nodus, ad cuius explicationem opus erat aut Historiarum, aut Latiniæ linguæ, aut Græcorum autorum cognitione. Itaq; ingeniosi ab ipso admonti multa in Aristotele dexterius & simplicius tractare incipiebant.